ARTICULI OBLATI

EXIMIIS DOMINIS

HARNEY

ET

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

STEYAERT

S. TH. DOCTORIBUS

AC

PROFESSORIBUS REGENTIBUS.

Cum illorum Declaratione.



Lovanii, Typis ÆGID. DENIQUE. 1692.

ARTICULI OBLATI

EXIMIIS DOMINIS

HARNEY
ET
STEYAERT

S. TH. DOCT. AC PROF. REG.

Cum illorum Declaratione.

I.

DE 4. Famoſis Cleri Gallicani Articulis rectè ſentit ille, qui Romæ ſentit ut Romæ; Pariſiis ut Pariſiis. Sic, vacante Lectione Theologicâ in Academiâ Galliæ, ſentire poterit ut in Galliâ, vacante in Hiſpaniâ, vel Italiâ, ſentire ut ibi.

DECLARATIO.

Propoſitionem abominor & deteſtor: ſi Eccleſia illam damnare voluerit, mecum faciet, & me gaudente. Sub ditione Gallorum habitans in ipſo fervore 4. Articulorum Cleri Gallicani publicè me geſſi tanquam illos non admittens; atque adeò impediens ne à Capitulo Cathedrali Ipris, in Regeſta ſua referretur; edito etiam eodem tempore Libello, cui titulus, *Actio Epiſtolaris*, ubi ſignificavi me jam pridem Romæ contraria profeſſum. Paulò poſt etiam vocatus Duacum ad Concurſum pro Lectione Regiâ in Theologiam, ivi quidem ſub promiſſione viri illîc tunc magnæ notæ, quòd dum docendi eſſent iſti Articuli, ipſe eos traderet loco meo: ſed cùm ante Concurſum jurare vel promittere unuſquiſque Concurrentium deberet ſe eoſdem Articulos traditurum, in facie Univerſitatis & Magiſtratûs loci diſceſſi, duobus aliis me ſequentibus.

I I.

Licèt DD. Cardinales ſentiant cum Doctoribus ſuſtinentibus Leges Pontificias Romæ tantùm promulgatas nondum in aliis provinciis obligare, alia-

rum

rum tamen provinciarum incolas ſecundùm eas Romæ judicant; imò & pœnas in eos decernunt, qui Leges illas non ſervant, perinde ac ſi Legum Pontificiarum in ſuis provinciis legitimè promulgatarum prævaricatores forent.

DECLARATIO.

Falſa eſt Propoſitio, & DD. Cardinalibus injurioſa: dum hi Romæ judicant ſecundùm Leges ibidem tantùm promulgatas, haud dubiè credunt illas obligare eos in quos ferunt ſententiam. Ipſemet peto (ſi opus) indigniſſimæ Aſſertionis proſcriptionem

III.

Facilè eſt pro 4. Scutis obtinere Romæ Cenſuram cujuſlibet libri, qui nullum ibidem habet patronum ſpecialem apud Pontificem, Cardinales vel primarios Aulæ Romanæ Miniſtros.

DECLARATIO.

Propoſitio impia, & iis ſolis fortè digna, qui-

bus

bus Roma foret *Maſſilia*, & Romani *Semipelagiani*. Utinam ſtigmate nigerrimo inuratur.

I V.

Adultus ignorans Myſterium Incarnationis poteſt aliquando nonobſtante hâc ignorantiâ juſtificari, eſtò ſupponas fidem hujus Myſterii eſſe neceſſariam neceſſitate medii ad ſalutem.

DECLARATIO.

Propoſitio inſipiens: plus requirens ad ſalutem, quàm ad juſtificationem, quam (morte mediante) ſalus conſequi debet. Condemnationem Eccleſiæ ne quidem meretur.

V.

Nullos ex inferno liberari ſine fundamento negatur, cùm ſimilia reperiantur in Scriptis Sanctorum.

V I.

Quod communiter dicitur: *quia in inferno nulla eſt redemptio*, debet intelligi *ordinariè*.

DECLARATIO.

Neutram agnoſco pro meâ ut jacent: ſed hoc dixi & dico: Dum talia reperiuntur in Scriptis Sanctorum, non mox criticè eſſe rejicienda quaſi exotica: poſſe enim illud, *quia in inferno nulla eſt redemptio*, exponi de eo quod locum habet extra caſum valdè extra-ordinarium. Si hoc mereatur Cenſuram Eccleſiæ, primus eam recipiam & obſervabo.

VII.

Qui contra conſcientiam omittit fornicari credens id ſibi præceptum eſſe, graviùs peccat quàm alter qui fornicatur, ſed qui in conſcientia credit id ſibi licitum eſſe.

DECLARATIO.

Sic etiam ſentio, & Cenſuræ Eccleſiæ me ſubjicio. Verba mea ſunt in *Aph. p.* 1. *Diſp.* 1. *n.* 6.
„Qui verò graviùs peccare dicendus ſit, an v. g.
„fornicans contra Legem qui in conſcientia cre-
„dit id ſibi licere, an contra conſcientiam omit-
„tens fornicari, qui credit id ſibi præceptum eſſe?
„Patet ex antedictis. Quia qui contra conſcien-

„tiam

„ tiam agit, perinde peccat ac ſi reverà fornicatiò „ præcepta foret; nec ejus peccatum extenuatur „ per ignorantiam, prout extenuatur peccatum „ alterius. Igitur ipſe alter peccat graviùs

VIII.

Fornicatio non eſt gravius peccatum quàm voluntaria ebrietas.

DECLARATIO.

Sæpè notandum propoſui, circa peccatorum gravitatem variare judicia nationum, prout unaquæque harum in hoc vel illud eſt proclivior. Sic quippè nos Belgas & Germanos graviter vitare ſolere peccatum v. g. fornicationis etiam ſimplicis, parvi autem facere vitium ebrietatis: è contrario nationibus aliis ebrietatem graviſſimè notari, fornicationem non item. Quod ſi utraque inter ſe conferri debeat juſtâ lance; dixi per ſe atque ut communiter fit, ebrietatem eſſe graviorem ob pericula quorumlibet ferè peccatorum quibus paſſim ebrii uſu mentis amiſſo ſunt obnoxii: unde illud vulgatum, dum petitur, cui præcepto Decalogi repugnet ebrietas; R. omnibus. Si & hoc Eccleſiæ diſpliceat, diſplicet mihi.

IX.

Latro metu gravi injuſtè incuſſo cogens viatorem ad dandos centum Imperiales non tenetur ad reſtitutionem, quia donatio talis valida eſt.

DECLARATIO.

Propoſitio ut ſonat, mihi falſa eſt: nec quidem ſatisfacere videtur quod dici poſſet, donationem reſciſſum iri, & indè obligationem reſtitutionis orituram.

X.

Si quis fraudet de vectigalibus quantùm bonâ fide exiſtimat ſe plus æquo gravari, neque peccat, neque tenetur ad reſtitutionem.

DECLARATIO.

Propoſitio ut jacet, eſt Silvii, & à me rejicitur. Verba mea ſunt Appendice in Wiggers Controv. 8. q. 2. " Pro reſolutione tantæ difficultatis eſſe poterit temperamentum quod indicat Silvius hoc loco, Concl. 7. in fine, ubi ait:

„ *Siquis ergò fraudet de illis vectigalibus, quan-*
„ *tùm bonâ fide exiſtimat ſe plus æquo gravari; ne-*
„ *que peccat, neque tenetur ad reſtitutionem.* Quod
„ quidem ALIUM IN SENSUM dictum, ita ad
„ rem noſtram applicari poteſt. Video, imò pu-
„ blicè conſtat, ideò vectigalia quædam tam mag-
„ na exigi, quia ea multi defraudant; futura alio-
„ qui leviora, ſi omnes ſolverent. Unde ſi to-
„ tum ſolverem, quod pro ſingulis mercibus exi-
„ gitur, plus æquo gravabor, daboque ampliùs
„ quàm partem meam, in ſumma totali quam
„ Princeps vel Magiſtratus exigit ac recipit. Sol-
„ vo igitur (quantùm mihi ſecundùm Deum
„ videri poteſt) ſicut alii ſolvent ejuſdem me-
„ cum conditionis, ſeu qui tantundem mecum
„ mercium iſtarum conſumunt aut diſtrahunt: &
„ ita pro virili mea parte & cum proportione
„ contribuo, in eo quod exigitur & recipitur."

Propoſitionem ita à generalitate ſua quam apud Silvium habet, expreſſiſſime reſtrictam, teneo, & Eccleſiæ judicio ſubmitto.

X I.

Qui die jejunii 4. vel 5. horis continuis ſplendidè epulatur, non violat præceptum jejunii, cùm ſit unicâ refectione contentus.

DECLARATIO.

Expoſui quandoquè, quomodò in præceptis Eccleſiæ v.g. jejunii non valeat argumentum ab æquivalentibus: puta, violat legem jejunii qui duabus refectionibus moraliter interpolatis manducat hanc cibi quantitatem: ergò & qui tantundem refectione unicâ Oſtendi etiam refectione unicâ, attamen nimis copioſâ, peccari in die jejunii pluſquàm in alia, quia exceſſus ille magis dedecet diem ejuſmodi, ſobrietati deſtinatam. Idem dixi de exceſſu in potu. Eccleſiam tamen directè tantùm præcipere unicam refectionem cum certorum ciborum abſtinentiâ. Propoſitum aliquando fuit, quid ergo de his qui refectionem iſtam ad plures horas protraherent; & reſpondi, occaſiones eſſe poſſe, quibus etiam honeſtas requireret refectionem ita protrahi (ſi non ad 4. aut 5. horas, certè longiuſculè) ut tamen moraliter una refectio habeatur; atque hoc legi jejunii minimè adverſari.

Hoc eſt quod iterùm teneo, & Eccleſiæ ſubjicio.

XII.

Praxis adminiſtrandi Pœnitentiæ Sacramentum, non eſt petenda aut formanda ex Doctrina SS. Patrum de pec-

cato-

catorum gravitate, & difficili eorum curatione, ſed tam hæc peccatorum gravitas, quàm curandi ac reſipiſcendi difficultas æſtimanda eſt ex praxi Confeſſariorum hodiè communiter receptâ quantumvis parùm congruere ſenſui Patrum videatur.

DECLARATIO.

Falſa eſt propoſitio ; & perperàm ſupponens, praxim Confeſſariorum hodiè communiter (hoc eſt ab omnibus, bonis & malis, per Eccleſias Orbis, pauculis iſtis & ſingularibus exceptis) receptam parùm congruere ſenſui Patrum de peccatorum gravitate & eorum curatione, niſi circa diſciplinam. Circa hanc autem verum eſt, non tam videndum pro praxi, quid Eccleſia Patrum tempore fecerit, quàm quid hodiè faciat. Ita rurſus teneo, & non aliter. Eccleſiam judicem omni cum veneratione præſtolabor.

XIII.

Sicut ea vera eſt Eccleſia, quæ inter ceteras maximè univerſalis & conſpicua eſt, ita ea eſt vera praxis Eccleſiæ in Sacramento Pœnitentiæ admi-

ni-

niſtrando, quæ eſt maximè conſpicua, & univerſalis.

DECLARATIO.

Propoſitio inepta eſt, nec eam teneo. Dico, quòd ſicut Deus Eccleſiam conſpicuam & univerſalem conſtituit, ex cujus ſenſis miro compendio formet quiſque fidem ſuam, ità ut etiam rudes ſine magna diſquiſitione particularium punctorum, per univerſum orbem habeant quod ſequantur: ità etiam in Eccleſia poſuerit Praxim adminiſtrandi v. g. Pœnitentiæ Sacramentum univerſalem & conſpicuam, ex qua quiſque Sacerdos ſine diſputationum ſpinis componere poſſit Praxim ſuam. Hancque Praxim addidi non poſſe argui vitii aut erroris.

Hoc iterùm dico: nihil aliud. Eccleſia ipſa judicare dignetur.

XIV.

Expedita eſt methodus examinandi, ſitnè Pœnitens ad Abſolutionem ritè diſpoſitus, habeatque amorem Dei ſaltem affectu ſuper omnia, ſi Confeſſarius diligenter expendat, an cetera præcepta, excluſo primo, obſervet,

nec ulteriùs circa primum examinet.

DECLARATIO.

Propoſitionem ut mea eſt, ità exprimo: Si Confeſſarius deprehendat Pœnitentem adimplere cetera præcepta, tam affirmativa quàm negativa; ſignum ſufficiens eſt quòd etiam adimpleat primum de diligendo Deo, juxta illud: *Qui non diligit me, ſermones meos non ſervat:* adeoque opus non eſt, ut neſcio quibus interrogationibus pulſentur Pœnitentes, quoties de Deo cogitent vel loquantur? Quâ de re manè primum cogitent? Quæ omnia indicia minùs ſolida ſunt quàm obſervatio mandatorum.

Eccleſiæ dijudicandum relinquo, quid mereatur cenſurari; Hæc doctrina, an ejus accuſatio.

X V.

Adultus, ætatis etiam ſatis provectæ, qui inter confitendum deprehenditur ſatis liquidè puncta quædam neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem totâ vitâ ignoraſſe magis ex quâdam ſalutis incuriâ quàm certâ malitiâ, poteſt regulariter primâ vice, quâ Confeſſarium adit, abſolvi, ſi in ipſo Con-

feſſionalia breviter inſtructus afferat ſe veterem ſalutis incuriam recognoſcere ac deplorare, ac inſuper ibidem ad propoſita reſpondeat, ruditerque præteritæ vitæ ſtatum Confeſſario exponat.

DELCARATIO.

Propoſitio non eſt mea, propter illud *Regulariter*, item, *Ruditèr*, & quia ad Abſolutionem non ſufficiunt omnia ibi expreſſa ex parte ſolius intellectûs. Sic exprimo hâc in parte doctrinam meam: dum invenitur aliquis hactenùs ignoraſſe aliquid neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem, etiam cum aliquâ negligentiâ; ſi inſtrui poſſit, ità ut jam credere ſe anteà ignorata profiteatur; ſtatum præcedentis vitæ exponat, utì exponere poteſt juvante etiam Confeſſario, doleatque tam de peccatis præteritis quàm negligentiâ; poteſt abſolvi ſi quid notabile urgeat, prout ſæpè eſt iſtud, quòd timeatur non rediturus, ſed Salutem porrò neglecturus.

Judicium Eccleſiæ omni cum humilitate expectabo.

XVI.

Si quis Criminis enormis Conſuetudini ex ignorantia craſſa fuerit obno-

xius uſque ad provectam ætatem, & in ipſo demùm Confeſſionali poſt brevem Confeſſarii inſtructionem recognoſcat actionis illius malitiam, regularitater abſolvi poteſt. Ratio clara eſt, quia benè jam inſtructo intellectu, qui voluntatem cæcam illuminat, neceſſe eſt corrigi voluntatem.

XVII.

Turpiter hallucinatur qui hanc 16. Aſſertionem prout jacet vel rationem cui innititur, dixerit ad Pelagianiſmum vel Judaïſmum pertinere, imò verò ignorat prima Theologiæ elementa.

DECLARATIO.

Propoſitio utraque non eſt mea: præcipuè propter iſtud in fine prioris, *Ratio clara eſt, &c.* Audio aliquos eam explicare, agendo de intellectu practico: ſed hoc ipſum habet ſuam difficultatem. Doctrina mea hìc illa eſt: Dum ignorantia circa peccatum aliquod fuit, homine interim in ceteris ſatis Chriſtianè agente & volente; ubi ignorantia ſublata fuerit, facilè talem hominem

à vitio

à vitio iſto anteà ignorato recedere; eò quòd ha-ctenùs præcipuè tantùm laboraverit ignorantiâ.
Et hoc quid mereatur, Eccleſia deſpiciet.

X V I I I.

Satis veriſimile eſt conſuetudinarium, ſive ex ignorantia peccaverit, ſive non, poſt ſeriam de ſtatûs ſui periculo monitionem, regulariter abſolvi poſſe, ſaltem primâ vice quâ venit ad novum Confeſſarium, dummodò adverſus conſuetudinem hactenùs inveteratam in ipſo demum Confeſſionali promittat adhibere deinceps præſcripta remedia.

D E C L A R A T I O.

Res iſta mihi non veroſimilis, ſed apertè falſa eſt: quatenùs præcipuè comprehendit Conſuetudinarios, qui primâ quidem vice accedunt hunc Confeſſarium, ſed hactenùs acceſſerunt aliùm vel alios, qui ipſos eadem monuerunt, & eadem propoſita, ſed minimè executioni mandata, elicuerunt. De iis quibus nihil unquam ſimile dictum fuit, quique proinde nihil unquam Confeſſario dixerunt, niſi commune illud: *doleo de*

peccatis meis; quibus etiam nulla unquam præſcripta ſunt alicujus momenti remedia, & qui nunc præſcripta adhibere promittunt: de his, inquam, non teneo regulariter & ſine cauſa gravi eos abſolvi poſſe; ſed tot Theologos ita tenentes minimè cenſuro. Cenſurantem tamen Eccleſiam cum plauſu ſequar.

XIX.

In peccata gravia v. g. fornicationes, adulteria, blaſphemias, &c. facilè relabentibus, utiliſſimum fuerit conſulere, ut ſæpè puta ſemel in menſe, nonobſtante facili relapſu abſolvantur.

DECLARATIO.

Inepta Propoſitio: *Relabentibus conſulere ut abſolvantur*: ſententia mea eſt in Theſi Majori de Pœnitentia *Concl.* 25. & 26. " Poſt has pœni„ tentiæ, ſeu ſatisfactionis ſpecies, digreditur „ Rituale eod. §. ad remedia quædam contra aliud „ vitii genus: *Rariùs*, inquit, *vel ſeriùs confitentibus, vel in peccata facilè recidentibus utiliſſimum* „ *fuerit conſulere, ut ſæpè, puta ſemel in menſe, vel* „ *certis diebus ſolemnibus confiteantur, & ſi expediat,*

„ *com-*

„ *communnicent.* Quin etiam putamus hoc injun-
„ gi utiliter poſſe pro pœnitentia; & qnidem uti-
„ liùs ſi apud eundem aliquem Sacerdotem Con-
„ feſſio injungatur facienda; non tamen cum re-
„ ſtrictione ad ipſum Confeſſarium qui injungit.
„ Si modò Pœnitentem huc adducere valeamus;
„ experientiâ teſte, vix fallit tale remedium."

„ Verùm an frequentem iſtam Confeſſio-
„ nem toties ſequi debeat Abſolutio? R. Hoc
„ non dicit Rituale, & fortè videri poteſt con-
„ trarium innuere, ubi non abſolutè ſuadet toties
„ Communicare, ſed tantùm, *ſi expediat.* Qui
„ namquè admittunt fieri poſſe ut non toties ex-
„ pediat Communicare, admittent facilè nec to-
„ ties expedire ut abſolvantur; cùm juxta ipſos
„ Abſolutione acceptâ, nihil eſſe videatur, quod
„ tales à Communione tam rarâ arceat. Putem
„ interim, ut nihil diſſimulem, Eccleſiæ Roma-
„ næ mentem eſſe, loqui de Confeſſione quam
„ ſaltem ordinariè Abſolutio excipiat; adeòque
„ diſtinguere, uti reverà diſtinguit hos inter quos
„ vocat, *in peccata facilè recidentes*, & alios quos
„ infrà dicit, *peccata derelinquere, & vitam in*
„ *melius emendare nolle:* quoſque ideo tanquam
„ talis beneficii incapaces vetat abſolvi. Quòd
„ autem inter eos ſit diſcrimen, mox dicemus."

Dicimus autem *Concluſione* 35. "Ut ita diſ-
„ cernamus eos inter, qui voluntatem ſeriam ſe
„ emendandi monſtrantes, ex infirmitate tamen
„ facilè

„ facilè in eadem relabuntur; & alios qui nè vo-
„ luntatem quidem illã ſatis ſe habere oſtendunt."
Habet rurſùs Eccleſia de quo judicet.

X X.

Viſcoſitatem fornicationis v. g. ſed nondum verſæ in conſuetudinem, meliùs curaveris citâ Abſolutione, quàm aliquot dierum dilatione.

DECLARATIO.

Sic planè ſentio, modò addas: ut remedia & pœnitentiæ quas ante Abſolutionem ſubeundas injungeres, poſt eam potiùs ſubiri facias, ut ſimul cum gratia Sacramenti operentur.

X X I.

Fornicariis notoriis, juratoribus profeſſis, ebrioſis & bibonibus perditiſſimis communionem publicè petentibus, publicè neganda non videtur, etiamſi conſtet eos nulla pœnitentiæ ſigna dediſſe.

DECLARATIO.

Doctrina mea ab hâc generali diverſiſſima, exſtat in Theſi majori de *Sacr. Euchar. Conclu.* 6. ubi de iis agitur qui *Sacramentaliter* etiam *ſanctiſſimè* ſunt *confeſſi*, quod apud me non eſt, *nulla dare pœnitentiæ ſigna.* Et quidem de his adhuc dicitur Superior conſulendus, & cetera quæ ipſe Lector pro diſcrimine annotabit. Sic igitur loquor: "Quinam à Communione publicâ arcendi „ſint, tradit Rituale §. 8. "*Arcendi ſunt*, inquit, „*publicè indigni: quales ſunt excommunicati, inter-* „*dicti, manifeſtèque infames, ut meretrices, con-* „*cubinarii, fœneratores, magi, ſortilegi, blaſphe-* „*mi, & alii ejus generis publici peccatores: niſi de* „*eorum pœnitentiâ, & emendatione conſtet, & pu-* „*blico ſcandalo priùs ſatisfecerint.* Addit Paſtorale „Mechlinienſe: *etiamſi fuerint Sacramentaliter* „*confeſſi*: imò Cameracenſe, *Quamvis*, inquit, *fue-* „*rint ſanctiſſimè confeſſi.* Quæſtio tantùm eſt, qui „cenſeri debeant *alii ejus generis publici peccatores.* „An non enim fornicarii notorii, meretricibus, „concubinariis accenſendi erunt? Blaſphemis, „juratores quidam profeſſi? Deniquè ebrioſi illi „bibones perditiſſimi, nunquid eodem loco ha- „bendi? R. Cùm nullum, quod conſtet, Ri- „tuale aut Manuale eos exprimat, & aliundè „hæc ſit præſentium temporum, & locorum „miſe-

„ miſeria, ut tales pro *manifeſtè infamibus*, de
„ quibus loquitur Rituale, non habeantur; non
„ auſim publicè contra illos vi hujus Ritualium
„ Regulæ attentare, inconſultis Superioribus:
„ quorum eſt diſpicere, an crimina hæc ad eum
„ in hominibus iſtis aſcenderint enormitatis, &
„ notoreitatis gradum, ut perindè infames & his
„ Myſteriis publicè indigni haberi debeant, atque
„ alii illi in Ritualibus diſertè recenſiti.

XXII.

Controverti poteſt an obnoxius caſui reſervato teneatur poſt celebrationem vel communionem adire Superiorem, ſi eum tanta celebrandi vel communicandi urſerit neceſſitas, ut ſola Contritione præmiſsâ communicare, vel celebrare debuerit.

DECLARATIO.

Et hìc ex Scriptis à me mens mea colligetur. Sic habet Theſis de Pœnitentiâ ſuprà citatæ Concluſio 37. „ Deniquè Confeſſario mandatur,
„ *Nequè etiam eos abſolvat, quorum peccata ſunt*
„ *Superioribus reſervata.* Nulla hìc reſtrictio ad
„ ea peccata quæ Pœnitens reſervata eſſe ſcivit
„ cùm

„ cùm faceret : Quæ certè Gloſſa nullo funda-
„ mento nititur, vel in ſpeciem probabili : Nè
„ interim talia facilè ab ignorantibus committan-
„ tur, Parochus dum de peccatis tractat reſerva-
„ tionem illorum tacere non debet; quia vel ideò
„ reſervata ſunt, ut cùm hoc ſcitum fuerit non
„ tam facilè committantur. Quid autem Confeſ-
„ ſario faciendum, *Si Pœnitens aliquâ Cenſurâ vel*
„ *Caſu reſervato ſit ligatus, à quo ipſe non poſſit ab-*
„ *ſolvere*; Hoc ità præſcribit Cameracenſe : *Non*
„ *abſolvat eum, nè quidem à non reſervatis, ſed fa-*
„ *cultatem à Superiore obtineat: qui ſi recuſet* (quin
„ & ſi ut ſæpè ità expediat pro ſalutari Pœnitentis
„ confuſione) *ipſe Pœnitens illum adeat, eique vel*
„ *integrè confiteatur, ut Sacramentaliter abſolvi poſſit;*
„ *vel ſolùm Caſuum reſervatio tollatur, & Superioris*
„ *mandato pareat.* (qui tamen Superior tunc illum
„ non abſolvet) *Si Superiorem adire non poteſt,*
„ *& communicandi aut celebrandi premit neceſſitas,*
„ *conteratur, & ſine Confeſſione communicet vel ce-*
„ *lebret; ac deindè Superiorem adeat.* Quæ poſtre-
„ ma pars etſi controverti poſſet; in praxi tamen
„ tutior videtur, & minorem præbens eluſioni-
„ bus, & cavillationis anſam. „

Hactenùs Theſis accuſata : ubi tamen clarum eſt, iſtud, *poſtrema Pars*, non referri ad pauca aliqua verba finalia, quæ per ſe partem non faciunt; & quomodò intellecta Theſis inſana foret; ſed ad totam iſtam reſolutionem poſterio-

rem :

rem : *Si Superiorem adire non poteſt, &c.* quam aliqui controvertunt, volentes in Caſu poſito, peccata non reſervata eſſe confitenda, reticendo reſervata, quæ facilè etiam poſteà eſſent omiſſuri.

XXIII.

Fieri poteſt in ſtatu naturæ lapſæ, etiam juxta doctrinam Majorum noſtrorum in Cenſuris Belgicis, ut è duobus eodem planè modo interius, exteriuſque tentatis, unus agat & alter non agat cum eadem planè gratia, ſaltem quantùm eſt ex naturâ gratiæ Chriſti.

DECLARATIO.

Fieri hoc poſſe, etſi nunquàm fiet, importat apud me *poſſe* iſtud quô liberum arbitrium etiam ſimili gratiâ præventum cui alter conſentit, *poteſt* diſſentire ſi velit. Si ego dixero hoc eſſe conforme doctrinæ Majorum noſtrorum in Cenſuris Belgicis, alii negent; erit præclara quæſtio quam Eccleſia decidat. Si tamen fecerit, amplector jam nunc deciſionem.

XXIV.

Quæ Dominus Deus facit initio alicujus rei, ſolent eſſe exempla futurorum, ac proinde converſio Pauli eſt exemplum converſionum, quæ jam fiunt, cum hoc tantùm diſcrimine, quòd converſio Pauli facta ſit viſibiliter, ceteræ inviſibiliter.

DECLARATIO.

Stulta Propoſitio. In multis exemplum ceterarum fuit Converſio Pauli: quis dubitat? & ipſe alibi Paulus affirmat. At ut in omnibus, excepto ſolo viſibilitatis & inviſibilitatis diſcrimine; Theologo indignum eſt. Sic enim velut poſt multa graviſſimaque peccata blaſphemiæ, interfectionis Stephani, totque ejuſmodi Martyrum, & alia, ſubitò in momento converſus eſt Paulus, & factus Vas Electionis cum plenitudine remiſſionis & gratiarum: alii itidem peccatores graviſſimi ſic ſubitò, ſic plenè converterentur & ſanctificarentur; idque in Sacramento Pœnitentiæ, ut jam Converſiones fieri ſolent.

Liceat tandem commotiùs rogare: Quis tandem ſum ſi talia ſapio?

X X V.

Secundùm ordinariam divinæ gratiæ œconomiam facilis eſt converſio hominis recenter lapſi in peccatum quodcumque enorme, ſi hactenus à peccatis ejuſmodi fuerit immunis.

DECLARATIO.

Stultitia. Quid ſi enim aliis peccatis hactenus plenus fuerit, & biberit ea quaſi aquam? Certè ad enormia veniri non ſolet niſi per talia. Si offendat illud, *facilè* vel *citò*, dum ſæpè dico, peccata quædam non levia *citò* ſanari: ſequor quod hodiè (Hebd. 3. Quadrag. Fer. 3.) lego in Officio Eccleſiaſtico ex D. Aug. *Citò feciſti mortiferam rem, ſed remedium citò inveniſti.*

X X V I.

Ergò facilis fuit olim Converſio Chriſtianorum qui tyranno perſecutionem gravem comminante ſemel idolis immolârunt, ſi modo uſque ad perſecutionis tempus tam Chriſtianè vi-

xiſſent, ut ab iis qui in perſecutione firmi ſteterant, humano judicio diſcerni non poſſent.

DECLARATIO.

Etſi mea non ſit hæc conſequentia : dico tamen circa illam. Si ad diſciplinam Veterem, ſi ad plenam reparationem reſpiciatur ; facilis non erat talis converſio. Si ad converſionem ipſam eſſentialem, & ſepoſitâ diſciplinâ niſi quæ eſt ex natura rei ; concedo totum.

Si tamen Eccleſia neget, acquieſco.

XXVII.

Ergò ſimiliter facilis hodiè foret converſio eorum qui vehementi tentatione pulſati ſemel Pixidem ſacram furarentur, Hoſtiaſque conſecratas conculcarent, Patrem mactarent, adulterio, inceſtu, fornicatione ſacrilegâ ſeſe ſemel polluerent, aut alia ejuſmodi ſemel patrarent, quæ nonobſtante tali tentatione Magiſtratus Civiles extremo ſupplicio plecterent, vel Canones olim graviſſimâ ſeptennii, decennii, vel totius etiam vitæ Pœnitentiâ plexiſſent.

DECLARATIO.

Neque hæc mea ſunt: neque iſta ibi recenſita pleraque deſignari ſolent niſi à jam *mente corruptis*, *in reprobum ſenſum traditis*, *& ſine præmeditatione notabili*; quales excipere ſoleo, ut ipſa ſequens Propoſitio innuit. Caſus ſunt etiam *reſervati*, vel iis *graviores*, ut infrà ad Prop. 29.

XXVIII.

Facilis eſt eorumdem Converſio, non tantùm ſi ſemel, ſed etiamſi aliquoties illa patrarent, dummodò nondum ſint in peccatis inveterati, aut corde corrupti; non ea etiam deſignârint ſcelera, in quæ non cadunt niſi traditi in reprobum ſenſum, vel quæ ſine molimine & præmeditatione notabili non perpetrantur.

DECLARATIO.

Reſponſio & ſenſus meus patet ex præcedentibus.

XXIX.

Si ipſo demum Confeſſionis die

unam

unam alteramvè horam impendant, ut ſuam Conſcientiam ſedulò diſcutiant, ad contritionem ſe excitent, &c. poſſunt ejuſmòdi graves peccatores cenſeri moraliter certò benè diſpoſiti, & abſolvi, niſi caſus foret in tali Diœceſi reſervatus.

DECLARATIO.

Dum de caſibus *reſervatis* egi, addidi cæteros enormitate *pares* aut *majores:* per quod, uti & per prædicta ad Prop. 27. ſatis excluduntur *ejuſmodi graves peccatores.*

Hic eſt ſenſus meus, non alius.

XXX.

Tam facilis eſt illorum converſio, ut rectè de illis doceri publicè in Schola Theologica poſſit, quod ſicut candela recenter extincta unico flatu iterum accenditur, ſic tales primâ vice, aut aliquoties tantùm in crimina tam enormia lapſi facillimè mediantibus Sacramentis juſtificantur.

DECLARATIO.

Propoſitio levicula & falſa, propter illa præſertim : *Unico flatu*, &, *Aliquoties in crimina tam enormia.* Sententia mea eſt, quam ſæpè tradidi : Peccatores, cum exceptionibus ſuprà poſitis, recenter lapſos facilè & citò mediante Sacramento reſtitui, quemadmodùm candela recèns extincta, admoto igne, facilè reaccenditur.

Si tamen Eccleſia ita ſentire vetat, primus ero qui recedam.

XXXI.

Sacerdos in fornicationem lapſus horâ 5. matutinâ, celebrare poteſt horâ 7. ſi aliàs plebs die Dominicâ Sacro fruſtranda foret.

XXXII.

Indiſpenſabilis eſt celebrandi neceſſitas, cùm tali die plebs Sacro fruſtranda foret, maxime accedentibus commotionibus tunc oriri ſolitis.

XXXIII.

Stante hâc neceſſitate celebrare poteſt

teſt Sacerdos, non tantùm in fornicationem ſed etiam in graviora lapſus.

XXXIV.

Non tantùm celebrare poteſt Sacerdos, ſed etiam tenetur, ſciens ex communi ſenſu Eccleſiæ Converſionem Peccatorum ejuſmodi eſſe facilem, tantosque motus per celebrationem ſuam poſſe componi.

XXXV.

Confeſſarius Sacerdotem ita recenter lapſum abſolvere poteſt, & mittere ad altare.

XXXVI.

Confeſſarius Sacerdotem ita recenter lapſum non tantùm abſolvere poteſt, ſed etiam tenetur, ob urgentem neceſſitatem ita indiſpenſabilem.

DECLARATIO

Quod hac in parte ſentio, expreſſi ſatis luculenter Theſi Sabbatinâ de 18. Feb. 1690. Verba

ba ſunt iſta, Concluſ. 1. & 2. Breviter repetendum, quod hac de re poſitum dictumque à nobis, tantum pulveris excivit. " Verùm quid de
„ Sacerdotibus, in peccata mortalia præcipuè car-
„ nalia, lapſis? ... Quid his agendum tempori-
„ bus? Quamquam diſciplina illa vetus etiamnum
„ obſervanda non ſit (quâcumque enim occaſio-
„ ne mutata ſit; verè tamen & benè eſt mutata) ta-
„ men non eodem die aut poſt aliquot horas; ut
„ quidam perperàm aſſeruerunt; ſed poſt mag-
„ nos, & per aliquod notabile tempus peractos,
„ pœnitentiæ labores, ſuppoſitâ converſionis ve-
„ ritate, ad miniſterium ſuum tales readmitti poſſe
„ videntur? Et quidem brevius tempus eſſe po-
„ terit pro Sacerdote aliàs bonæ vitæ, qui oc-
„ cultè & per extraordinariam tentationem ceci-
„ derit. Verùm ſi quis recidivam paſſus, & corde
„ corrupto ſit; ad aliquod benè regulatum Mo-
„ naſterium, ut ibidem diuturniorem pœniten-
„ tiam peragat, remittendus videtur. Quid verò
„ de bono iſto, ut ſuprà, ita infeliciter & occul-
„ tè cadente, & ſubitò preſſo, ut pro Parochianis
„ die Dominico aut Feſto celebret, orituris alio-
„ qui commotionibus, ut fieri amat, ingentibus?
„ Supponitur is gemitibus & lachrymis veniam
„ in Confeſſione poſtulare, paratusque poſteà fa-
„ cere quæ videbuntur. R. Nos primâ vice per-
„ miſſivè nos non habebimus, ſed lachrymis ejus
„ miſcentes lachrymas noſtras, Abſolutione do-
„ natum

„ natum ad Altare dimitremus, facturum poſteà, „ ut jam dictum eſt de pœnitentia Sacerdotis lapſi „ antequam officio reſtituatur." Hactenus Theſis illa; quæ ſanè pluribus juſto rigidior quàm laxior apparebit.

Verum, inquient, ad fornicationem eâdem nocte ita infeliciter & extraordinariè commiſſam, Theſis inter diſputandum extenſa fuit. Verùm eſt: quia ſupponebatur, & eſt veriſſimum, primò fieri poſſe, ut & ad fornicationem urgentiſſimis tentationibus etiam ſanctus quiſque inopinatò pertrahatur; deinde multò minorem eſſe hanc culpam, quàm ſi tactibus mutuis pollutio provocetur, quod tamen non adeò pars adverſa videbatur abominari. Addebatur tamen identidem, & additum fuerat in *Appendice* aliàs citata, tentandum modis omnibus, & per *omnes prætextus modò non falſos*, ut neceſſitas celebrandi evitari poſſit: item talem paratum fore, ut mox poſtea pœnitentiam eam agat antequam Officio reſtituatur, quæ aliàs agenda fuerat ante hanc diſpenſatoriam celebrationem. Hucuſque Theſis Sabbatina, repetens dicta in præced. quadam Theſi.

Reliqua colligi poſſunt ex Articulis hâc de re inter 42. quos in *Hugenio* accuſamus. Judicet inter nos Eccleſia, & ego acquieſco.

XXXVII.

Poteſt ne aut debet Confeſſarius mulieris eam inducere ad denuntiandum Superiori pio & diſcreto Religioſum ſtationarium, qui cum ea mœchatur, quoties pro ſtatione ſua ad pagum venit, & non obſtante tam enormi crimine mox pergit celebrare, prædicare, Confeſſiones excipere, aliaque Sacramenta Miniſtrare? Aſſerere non auderem.

DECLARATIO.

Obſcurè, memini me ad caſum aliquem non abſimilem recuſaſſe Reſolutionem meam: quæ tunc cauſa recuſandi fuerit, non ſatis memini. Quæ eſſe potuerint (ſi tamen caſus ſit idem) ſic jam videtur. 1. Vix fieri poſſe quin illa mulier revelando factum alterius, etiam revelet ſuum: 2. Si illa ducatur pœnitentiâ, non opus eſſe ut à Superiore iſtius Religioſi petat remedium, cùm ipſamet malum avertere poſſit ſe cuſtodiendo. 3. Denique novi me obſideri talibus Conſultoribus, quibus meritò eâ mente nego conſilia

quâ

quâ Dominus J. Chriſtus multis in Evangelio. Sentio caſum propoſitum talem eſſe, in quo aliquando expediat denuntiari nefarium Sacerdotem, aliquando non item.

M. STEYAERT.

Imprimi poterit. Lovanii 27. Martii 1692.

F. M. HARNEY Ord. Præd. Fac. Theol. Doctor Regens L. C.

INaudiens quod ex his 37. Propoſitionibus ſolæ quatuor mihi imputentur, nimirum 2. 9. 16. & 17.

Ad 2. Dico, meminiſſe me quod in publica diſputatione reſponderim, ad hoc ut obligent leges Romæ latæ, non per ſe requiri ut per ſingulas Diæceſes publicatæ ſint: non tamen inde conſequi, quod quæcumque Romæ mandat Summus Pontifex, vel decernunt Eminentiſſimi Patres, ſemper ipſo facto ubique terrarum obligent. Et hujus rationem eſſe quod nonnumquam talis merito præſumatur eſſe Summi Pontificis voluntas. Inter cætera verò & exemplum allegavi, de acceſſu ad locutoria Monialium: in Belgio enim paſſim non petitâ ab Epiſcoporum Vicariis veniâ abſque ſcrupulo noſtros loqui monialibus, & hoc tamen Romæ uſitari non poſſe, quin graviter,

viter, qui ſic ageret, puniretur. Dominos Cardinales ſi ſuper hac quæſtione generalibus terminis interrogentur, reſponſuros, non licere: at quando res preſſius Romæ examinantur, illos reſpondere, quod ubi alia paſſim eſt conſuetudo, hæc ſervari poſſit. Et exemplum erat in difficultate quam Romæ habuimus circa imagines Sanctorum circumferendo in Proceſſionibus quas comitatur Sanctiſſima Eucharistia. De cætero ad Propoſitionem dico, quod hìc dixit Collega noſter Steyartius.

Ad *nonam* dico quod cum Reſponſalis poſuiſſet, contractus metu gravi injuſtè licet incuſſo initos, non eſſe jure naturæ invalidos, (cujus ego contrarium ſentio) permiſerim eum dicere, quod poterat: addidi verò quæ addi ab auctoribus iſtius ſententiæ ſolent, eum qui metu adactus fuit, ſaltem ex fidelitate obligari, ut metum inferenti ſolvat, quæ promiſit, vel ex religionis motivo, ſi juraverit, juxta S. Thomam 2. 2. 89. 2.3. alterum verò acquirere non propriè dictum, & plenum, ſed infirmum quoddam dominium; ita ut in conſcientia retinere quod ſolutum fuerit, non poſſit. Nec diſſimulo me inſuper dixiſſe quod tales rerum periſtaſes accidere poſſint, ut valida eſſet donatio, tunc nimirum cum donator omni juri ſuo ultrò cederet.

Sed propoſitionem, prout jacet, prorſus repudio, ac de reliquo dico cum Steyartio.

Ad

Ad 16. Dico, quod propoſito nuper argumento de baptizatis à S. Petro tribus millibus die Pentecoſtes, cum argumentans urgeret, inter eos indubiè fuiſſe complures qui fuerant conſuetudinarii; atque adeò Confeſſarium etiam poſſe conſuetudinarios abſolvere, tametſi non magis probati eſſent, quam multi ex illis tribus millibus, reſponderim negandam conſecutionem, & rationes diſparitatis eſſe multiplices, inter cæteras hanc, quod illi ter mille Judæi peccaſſent ex ignorantia, unde & S. Petrus (*Act*. 3. 17.) dicebat: *Scio quia per ignorantiam feciſtis. Si enim cognoviſſent, nunquam dominum gloriæ crucifixiſſent*, juxta 1. *Cor*. 2. 8. Et quia argumentans objecerat, Judæos nullam præparationem præmiſiſſe, ne unius quidem *Pater* & *Ave*, repoſui quod dictum S. Petri, *Pænitentiam agite*, multum ſignificaret, & præterea quod illo tempore Chriſtianum fieri, eſſet res admodum ardua; nam atroci perſecutioni mox expoſiti erant. Tunc tranſiens ad caſum theſeos dixi, poſſe contingere ut quis v. g. adoleſcens ignorarit quod mollities ſit peccatum mortale, à Confeſſario autem monitus, valdè magna edat interni doloris ſigna, ita ut Confeſſarius omninò perſuaſum habeat, adoleſcentem prorſus ab illo peccato abſtenturum. Addebamque præſcindere nos à quæſtione, Utrùm tanta mollitiei ignorantia detur, ut uſque ad peccatum veniale extenuetur; unde & in arti-

culo mutatus eſt caſus, de *craſſa ignorantia* diſertè tractando. Item me abſtrahere, an adoleſcenti repetendæ eſſent Confeſſiones, nec ne, ſed nudè conſiderando, An adoleſcens *ſi cæterà benè vixit* (hæc erant ipſiſſima verba) & jam edoctus, quod mollities ſit peccatum mortale, valde magna edat interni doloris ſigna, abſolvi poſſit, reſpondi affirmativè, & rationem ſubjunxi. Ille enim cum *cætera benè vixerit*, & in hoc uno ex mera ignorantia ceciderit, ſublatâ jam per inſtructionem ignorantiâ, nihil ulterius impedimenti in affectu habet; unde & tanta nunc edit doloris ſigna. Dum ex infirmitate peccatur, timeri poſſe boni propoſiti infirmitatem; aſt dum ex mera ignorantia peccatum fuit, hâc ſublatâ, hominem per intellectum in tali peccati ſpecie generalius corrigi. Objiciebatur, intellectum non eſſe qui faciat hominem bonum; & diſtinguendo dixi de intellectu merè ſpeculativo id verum eſſe, multos enim dicere, non eſſe mæchandum, & tamen mæchari: ſed judicium, de quo in caſu Judæorum trium nullium, & Adoleſcentis qui *cætera benè vixit*, & nunc melius edoctus plurimùm dolere videtur, judicium adeſſe practicum, ac judicio practico totum hominem mutari.

Ad inſtantiam verò, quod totum illud qualecumque judicium eſſet ſolius intellectûs, reſpondi, Voluntatem eſſe potentiam cæcam, & ſemper ſequi id quod judicat intellectus, non ſpecula-

culativè, ſed practicè, & quidem ſi (uti loquuntur Theologi) judicio ultimatè practico.

Et quia urgebatur, hanc exprimendi rationem eſſe merum Judaiſmum & Pelagianiſmum, quia innuitur quaſi ad juſtitiam ſufficiat notitia legis, reſpondi, ignorare communiſſima Theologiæ principia illum, qui notitiam merè ſpeculativam non diſcernat à judicio practico, & quidem *ultimatè Practico.*

Ad 17. dico quod tunc dixi, me nolle imitari crudam Doctoris phraſim, qui opinioni (quam putabam communiſſimam) Judaiſmum ac Pelagianiſmum impingebat. Et tunc quidem illo dicente, ſeſe argumentando poſſe objicere quidlibet, reſpondi, ita eſſe, at tunc talia non urgendà *tali modo ac tali tono.* Nunc vero quidquid ſit, non tantùm hæc pauca, ſed & omnia mea plenè ac planè ſubjicio judicio Eccleſiæ; nec Eccleſiæ tantùm, (ut quidam imaginari videntur) prout cum Capite ſuo, quod eſt Chriſtus, judicat, ſed ſicut à S. Thoma dudum edidici, Eccleſiæ prout per Romanum Pontificem pronuntiavit, vel pronuntiabit.

Ad Epilogum verò, quo dicebatur: " Infra „ſcripti atteſtamur nos collegiſſe hos articulos 37. „ ex Theſibus, Diſputationibus, reſponſionibus, „ lectionibus, dictis, factis, tam publicis quàm pri- „ vatis Eximiorum DD. Harney & Steyaert. Cum „ verò non fuerimus horum omnium teſtes ocu-

lati,

„ lati, ſed aliorum relatione ad nos varia pervene-
„ rint,cenſuimus dictos articulos(ne quid temerè
„ velle eis affingere videamur)in manus DD.Col-
„ legarum illorum eſſe ante omnia conſignandos,
„ rogando eos ex animo, ut fictos, ſi qui ſint, à
„ genuinis ſecernere dignentur. Datum Lovanii
„ die 26. Februarii 1692. G Huygens S. Theol.
„ Doct. J. L. Hennebel S. Theol. Doctor.

Dico imprimis: Tanto tempore vobiſcum fui, ô Viri Eximii, & expenſis tum *dictis*, tum *factis* noſtris, *tam publicis quàm privatis*, inveniſtis quatuor has ſolas quas mihi vitio verteretis Propoſitiones? Gratias ago Deo & Vobis. Deindè ſive Propoſitiones ſint meæ, (quod omninò inficior) ſive non ſint meæ, peto illas, ut jacent, condemnari. Facitote tandumdem & Vos circa 42. quas vobis objeceramus, & deſinet populus ambas partes comparare mulieribus, quæ coram Salomone litigabant, utra pueri eſſet mater. Nos petimus, ut Propoſitiones, ſive ſint noſtræ, ſive non noſtræ, judicio Romani Pontificis, ſi ita illi videtur, in fruſta ſecentur, Vos erga nonnullas è 42. illis teneritudinem aliquam oſtenditis: an ſit affectus quidam cognationis, judicet Deus, & quos ea res tanquam Judices tangit; Vos autem valetote in Domino. Datum Lovanii 31. Martii 1692.

F. M. Harney.

Servatis ſervandis evulgari poterit.

Fr. Ph. Durand S. T. M. Provincialis

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Nic. du Bois L. C.

EPISTOLA
M. STEYAERT
Theologi Lovanienſis,

VICARII GENERALIS APOSTOLICI

SILVÆ-DUCENSIS,

AD EXIMIOS VIROS

Theologos itidem Lovanienſes

G. HUYGENS,
ET
J. L. HENNEBEL:

PROLOGI LOCO

AD XXXVII. ARTICULOS

Ab his oblatos.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

EXIMIIS S. THEOL.

DOCTORIBUS

GUMMARO HUGENIO

ET

JO. LIBERTO HENNEBELLIO

MARTINUS STEJARTIUS

FELICITATEM.

QUod Scriptum vix judicio meo exire potuit, caſu extruſum eſt. Typographus cùm hodiè à Cenſoribus licentiam illud publicandi accepiſſet, non expectavit meam. Alioqui animus erat *Prologi* loco præmittere ſimile aliquid ei quod nunc *Epilogus* eſſe poterit;

Oblatis à Vobis Articulis reſpondeo

eâ moderatione, quam ne quidem Vobis audio improbari: rotunditate etiam quâdam, quam fortè ideò non probatis, quia æmulari non cupitis. Ad *facta* nuſquam deflecto, aut tam raro & parùm, quàm per materiam licuit. Nullibi ſatis mihi eſt dicere, *Non docui, Nullum ſcio qui doceat*, vel his timidiora. Ab iſtis, ut vocant, abſtrahens, dico quid ſentiam, quid pro meo haberi velim. Verbo: ſic ago, uti antehac me authore egit Facultas Theologica Lovanienſis in Deputatione Anni 1677. Profitebatur hæc quid teneret, quid rejiceret in rebus quæ controverti videbantur; in utriſque requirebat judicium S. Sedis. Dum prodierunt Libelli noti, Specimen doctinæ dicti, quibus contendebant aliqui, non hæc, ſed longè alia, ſentire aut ſenſiſſe Lovanienſes; reſpondimus quavis in occaſione, nullius momenti eſſe hanc Facti quæſtionem, neque nos velle eam ingredi. Si qui Professionem noſtram ut *veram* rejicerent, admitterent ſaltem

tem ut *humilem* RETRACTATIONEM.

Idem coram Vobis & toto mundo edicimus, Viri Eximii; atque ego præſertim, qui præ *Harnæo* Eximio, à Factis abſtineo. Si Vos, aut potiùs Veſtri, ſeu militantes Vobis, me ſenſa mea celare, creditis: tum vel de præſentibus agitis vel de præteritis. Si de præſentibus, temerarii eſtis, qui de internis judicatis contra declarationem tam manifeſtam; & hoc adversùs eum qui Vobis rotundè ſenſa Veſtra pandentibus, ſe crediturum recepit pubicè. Deinde quid nocebunt ſenſa interna, ubi profeſſio externa contraria tam diſerta erit? Si de præteritis agitis, & dicitis me neſcio quando contrà ſenſiſſe olim (quando jam etiam è Veſtris ſcrutantur, quid Tiro Theologus in aurem locutus ſim amico, juvenculus juvenculo, improvidus improvido, & talis tali quales jam ſunt è Tironibus plures:) hanc ſaltem mihi præſtabitis gratiam, ut hanc declarationem meam ſic tanquam pa-

eâ moderatione, quam ne quidem Vobis audio improbari: rotunditate etiam quâdam, quam fortè ideò non probatis, quia æmulari non cupitis. Ad *facta* nuſquam deflecto, aut tam raro & parum, quàm per materiam licuit. Nullibi ſatis mihi eſt dicere, *Non docui, Nullum ſcio qui doceat*, vel his timidiora. Ab iſtis, ut vocant, abſtrahens, dico quid ſentiam, quid pro meo haberi velim. Verbo: ſic ago, uti antehac me authore egit Facultas Theologica Lovanienſis in Deputatione Anni 1677. Profitebatur hæc quid teneret, quid rejiceret in rebus quæ controverti videbantur; in utriſque requirebat judicium S. Sedis. Dum prodierunt Libelli noti, SPECIMEN DOCTINÆ dicti, quibus contendebant aliqui, non hæc, ſed longè alia, ſentire aut ſenſiſſe Lovanienſes; reſpondimus quavis in occaſione, nullius momenti eſſe hanc Facti quæſtionem, neque nos velle eam ingredi. Si qui PROFESSIONEM noſtram ut *veram* rejicerent, admitterent ſaltem

tem ut *humilem* RETRACTATIONEM.

Idem coram Vobis & toto mundo edicimus, Viri Eximii; atque ego præſertim, qui præ *Harnæo* Eximio, à Factis abſtineo. Si Vos, aut potiùs Veſtri, ſeu militantes Vobis, me ſenſa mea celare, creditis: tum vel de præſentibus agitis vel de præteritis. Si de præſentibus, temerarii eſtis, qui de internis judicatis contra declarationem tam manifeſtam; & hoc adversùs eum qui Vobis rotundè ſenſa Veſtra pandentibus, ſe crediturum recepit pubicè. Deinde quid nocebunt ſenſa interna, ubi profeſſio externa contraria tam diſerta erit? Si de præteritis agitis, & dicitis me neſcio quando contrà ſenſiſſe olim (quando jam etiam è Veſtris ſcrutantur, quid Tiro Theologus in aurem locutus ſim amico, juvenculus juvenculo, improvidus improvido, & talis tali quales jam ſunt è Tironibus plures :) hanc ſaltem mihi præſtabitis gratiam, ut hanc declarationem meam ſic tanquam pa-

lino

linodiam recipiatis. Sin nolitis: certè aliud jam Vos quærere monſtrabitis, quàm Veritatem; & ejus declarationem publicam. Non aliud Nos volebamus à Vobis. Adhuc modò idem volumus, petimus, ſupplicamus.

Ego iterum in primis: qui ſi ad Objecta, candidè, & meo exemplo, reſpondere volueritis; rem expeditiſſimam fore promitto. *Facti* quæſtio nulla ſupererit: *Juris* quæ reſtabit, ad Sedem Apoſtolicam referetur. Quin ſi huc adducere Vos valuero; en, conditiones mihi quidem iniquiſſimas, Vobis autem & Veſtris optatiſſimas, ultrò amplector. Ubi Vos declarabitis contrarios iis, quæ Vobis impegimus; dicite (neque ego contradicam, aut ullus pro me) impoſitum eſſe Vobis: tum Veſtri pro Vobis inſultent, triumphent, canant, rideant, & ſi quid pejus poſſunt. Ad hæc ſi contumeliis ſaturamini; eſtò ego declarem me hæc aut iſta non tenere, imò deteſtari ea & damnata cupere; iidem tamen

Veſtri

Veſtri ſcribant volumina, quibus me omnia iſta tenuiſſe contendant, probent, ac (ut arbitrantur) evincant. Tum rurſus faciant quod ſolent; non habebunt qui verbum eis reponat. Hoc omni pretio ego libens emero, ut faciatis tantùm quod me facere videtis. Abſit ut in corde teneam, quod foris profiteri erubeſcam; urgentibus præſertim accuſatoribus tam non rejiciendis, ut ſunt ejuſdem cœtus Doctoralis Collegæ.

Quapropter etiam ad Epiſtolam quam Veſtrûm alter mihi his diebus miſit, quâque petit quædam in meis, ſecum per me amicè communicatis, diſertiùs exponi; reſpondebo libens. Nihil erit in corde meo, quod non exprimam ut ſenſa mea faciam notiora. Poſtquàm verò quid ſentiam expoſuero, ne quidem verbo defendam quæ ſentio. Rursùs ita Romæ fecimus; dum noſtra proponeremus pro Lovanienſi Facultate: aliis fruſtrà expectantibus, ut defendendo noſtra,

accuſatio-

accuſationem ipſorum omitteremus. Scriptitationibus res hìc non agetur; fugientium Eccleſiæ judicium ſit iſtud perfugium, vel appellantium à Senatu & Principe ad populum Quiritium; Scriptitate Vos, aut ſcriptitari facite, ut voletis. Si ſenſa Veſtra circa objectos Articulos expromitis, ne verbum quidem à me habebitis, niſi quòd quæ profitemini, Romam miſſurus ſum aut eiam delaturus. Si pergitis recuſare quod rogo, quod ſupplico, pro Veſtro & publico Eccleſiæ bono; quodque neſcio an ullus Sanctorum detrectaverit: pergam tantùm probare, quàm meritò declarationem ejuſmodi à Vobis exigam; hoc eſt quàm meritò Vos accuſem & Veſtros. Neque proderit Vobis, aut hiſce Veſtris, minari mihi atrociſſima; mittere clàm ſcommata acerrima quæ publicetis ni deſiſtam: ſupra hæc & pejora erectus mihi eſt animus; neque in manu veſtra eſt quidquam quo me deterreatis. Fateor: tempore mihi opus eſt. Diſtineor pluribus.

ribus. *Cunctando* tamen, ut ſpero, *rem reſtituam:* neque *ponam*, ut nec Romanus ille cunctator, *Rumores ante ſalutem.*

Hiſce igitur, iterùm ut ſæpe, ſupplex ſum vobis, ut tantùm facere velitis quod me videtis facientem. *Quadraginta duos Articulos* à nobis objectos, item *Notas Breves* quas nemo non vobis adſcribit, rejicite aut admittite; ſenſum veſtrum circa illa dicite, ut libebit. Quamprimùm prodibit hæc veſtra declaratio, ſi modò biduô præmonitus fuero, prodibit ulterior declaratio mea. Omnia ſimul ad S. Sedem (nam Concilium generale quod malletis, ſperare tam citò non licet) deferentur. Interea circa controverſa, pax ſervabitur; imò, ſi velitis, ſilentium. De futuris, (quæ Vos vereri ferunt) hac lege agetur: invigilabimus quidem in mutuas, quas Deus avertat, prolapſiones; ſed tamen quas deprehendiſſe nos putabimus, non anteà publicè redarguemus, quàm

apud amicos communes examinaverimus. Ita ut fiat, atque ut è cœlo omnia Vobis cum hoc Sacro tempore proſpera & ſalutaria eveniant, ex animo voveo. Lovanii è Coll. Maj. 3. Apr. 1692.

M. STEYAERT.

P. S. Intelligo quoſdam (Vos an alios?) conatos obtinere declarationis noſtræ ſuppreſſionem; eò quòd ad Prop. VIII. admittatur, Ebrietas ob peccata inde ſequi nata, gravior etiam eſſe v. g. ſimplici fornicatione: quod illi ſcandalo eſſe putant juventuti, quæ Ebrietatem parùm æſtimat. ℞. Etiam hæc Mollitiem parùm æſtimat, & tamen Theologi tradunt intrepidè, eam graviorem eſſe fornicatione. Sicut ergò hi Fornicationis gravitatem imminutam non volunt, ita neque ego; & quemadmodum ipſorum ſententia à Mollitie juventutem avocat, ita & mea ab Ebrietate. Verùm, ut fatear, non hoc eſt quod eos urit in iſta declaratione.

ERRA-